

alterius cuiuspiam antiquæ memoriæ studiosi; qui superiorum Pontificum, Conciliorumque Decreta in summam contulit, adversus Pelagianos, & Semipelagianos errores.

Sed age, omnia Cœlestini ponamus esse; longæ facilius causâ cadet audacissimus criminatorem: atque ex ipsis adjectis fidei regulis planum fiet, ea doctrinæ capita, quorum præsertim occasione, Augustinum a Semipelagianis erroris insinuationem Launojus pro certo habet, dato Rescripto fancita esse, nec profundiorum, difficiliorumque questionum numero haberi posse, quæ opinantium arbitrio relictae sunt.

Liquet id præsertim ex fine, consilioque, quo laudata Capitula Cœlestini Rescripto adjecta sunt: nempe, ut omnibus compertum feret, quam temere Massilienses Augustinum obloquerentur, quod in eo adversus Pelagianos commisso prælio, modum, certosque fines excessisset. Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hereticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia demerentes; piissimis Disputatoribus obviare præsumunt: & cum Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessariam modum excesserint, obloquuntur. (Apud Labb. Tom. 3. pag. 47c.) Nisi enim, quæ in Augustino ab æmulis damnabantur doctrinæ capita, subiectis illis fidei regulis fancirentur; Semipelagianorum oblocutiones ea Capitulorum recensionem minime compressisset Cœlestinus: quin illorum querelas multo luculentius confirmasset, si ea profundioribus illis difficilioribusque questionibus adnumerasset, quas minime statuendas dixit, extrema Epistolæ clausula. Is siquidem necessarium modum excessisse merito dicitur, qui dogmata opinione libera, tanquam fidei dogmata propugnavit.

Ad hæc, Augustinum nullo unquam sinistre suspitionis rumore aspersum declarat Cœlestinus, data Epistola. An non porro sinistra admodum suspitione laborasset, si quid veluti Ecclesiæ dogma posuisset (uti profecto gratuitam prædestinationem posuisse demonstravimus capite 7.) quod Ecclesiæ dogma re ipsa non esset, & a quo procul abire liberum foret?

Sed quid tandem, si hæc ipsa Capitula, Epistolæ adnexa ad crism vocemus? Non modo gemina illa Augustiniana doctrinæ theorematâ, a Massiliensibus in erroris suspitionem adducta, fidei regulis infribi; verum etiam eorumdem necessaria confectaria, quæ Launojus tota passim scriptiuncula erroris dicam affricuit, ex sacris Pontificum, & Conciliorum oraculis delibari, compertum erit. Quod quia secundo jam capite a nobis utcumque confectum est, breviter, strictissime in præsentia peragemus.

Ac primo quidem in limine, hæc fidei regulam statuit Cœlestinus, ex Innocentii I. Romani Pontificis ad Synodum Carthaginensem Epistola delibata: In prævaricatione Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse; & neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consergere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Quod primum in Augustino erroris insinuationem investigat, pagina 25. & 51.

Tertio Capitulo, celebre ejusdem Innocentii dictum in fidei regulam transfert: Necessè est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Quibus verbis Augustino familiaribus cubare hæreticam, statuit criminatorem, pag. 25.

Quarto, neminem nisi per Christum libero bene uti arbitrio desinit, ut illo memorati Pontificis pronuntio: Adverte tandem, o pravissimarum ventium perversa doctrina, quod primum hominem

ita libertas ipsa decepti, ut dum indulgentius frangis ejus utitur, in prævaricationis præsumptionem conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi providentia ei regenerationis statum pristinae libertatis, Christi Domini reformasset adveniens. Cui non abimile Augustini dictum, uti Majorum Traditioni repugnans, fugillat Launojus pag. 60.

Quinto decretum legimus, Deum ita bonorum omnium Auctorem in nobis esse, ut licet in piis operibus exerendis, suas liberam arbitrium partes habeat, potiores tamen gratiæ censeantur; dicente Zosimo Pontifice Maximo, in Epistola ad totius Orbis Episcopos: Omnia bona ad Deum Auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur: Afris autem Episcopis ita dato Rescripto accinentibus: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humane singulis motibus, magnis illius valere non dubitemus auxilium. Cum tamen constantissimum antiquæ Traditionis dogma Launojus efflatur pagina 23. nos prædestinationis nostræ Auctores esse, gratiamque humanis voluntatibus subdi.

Tribus sequentibus Capitulis, Deum ita in cordibus hominum, atque in ipso libero arbitrio operari decernat, juxta Zosimi Romani Pontificis, & Carthaginensis Synodi sanctiones, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. . . ipsaque bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilius studiorum ad Christi gratiam referantur. Quo iudicio Semipelagianismus proscriptus est, gratuitaque ad gratiæ, fideique initium prædestinatio (quam ab Augustino priori sententia repudiata, sub ipsam Episcopatus initium doceri cœptam, moleste habet Launojus pag. 73. & 81.) fancita est.

Nono tandem, & ultimo Capitulo, hæc ex statutis regulis summam colligit Cœlestinus: His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divina suspensis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum faceremus auctorem: & non dubitemus ab ipsis gratia hominis merita preveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravitate rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro bis, quæ largitus est, æterna premia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda non negligenda donavit; ut, & nos operatores simus gratiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostra videmus remissione languerem, ad illum sollicite recurremus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidie dicimus: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Quo vel uno Capitulo, si vacuo præiudiciis, & partium affectibus animo pendatur, universam Augustini doctrinam, de gratuita prædestinatione, & gratiæ victriçis, accurato compendio contentam, simulque fractum spuræ Traditionis confarinatorum, nemo non dicet. En etenim tibi gratiam affectuum omnium, studiorum, & operum affectuicem; omnia merita, conatus, & studia anteverentem: En gratiam in animabus nostris agentem, ut velimus, non quia volumus, aut contentum prævidemur: En demum gratiam voluntatis humane ducem, non pedesquam; gratiam, inquam, quam pro nutu non stectimus, sed quæ nos pro Dei nutu fecit; ut id omne velimus, & agamus, quod ipse voluerit.

rit. Quibus loquendi rationibus, errorum monstra subesse, ex gratiæ se ipsa victriçis systemate fluentia, millies oblaterat audacissimus criminatorem.

Sed quid hæc religiosus moror? Illa ipsa toties decantata Capitulorum clausula, unde Augustinum redactum in ordinem, ejusdemque de gratuita prædestinatione, gratiæque victriçis, gemina dogmata, a positæ Regulis omnino distita esse, colligit æmulus obtreçtator; utrumque non leviter adstruit. Profundiores vero, difficilioresque partes incurventium questionum, quæ latius pertractarunt, qui hereticis resistunt, sicut non audent contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confutandum gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quicquid secundum prædictas Regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut profus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis Sententiis esse contrarium. (Apud Labb. Tom. 3. pag. 473. 474. 476.) Præfecto si divina gratiæ operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est; nihil itaque virtutem ejus, ac liberalitatem fugit; non meritum, non dispositio, non conditio, non conatus, non ipse tandem liberi arbitrii consensus, & usus.

Quænam ergo sunt, iniques, profundiores illæ, difficilioresque partes incurventium questionum, quas uti Cœlestinus contemnere non est ausus, ita necesse non habuit adstruere? Sunt illæ dubio procul questiones profundiores, difficilioresque obscuritate rerum, & incertitudine veritatis, atque sententiæ, quæ de illis ferri certo non possunt. Questiones, inquam, non per se se, ac directe ad gratiæ defensionem, controverfiæque Pelagianorum, ac Massiliensium, artinentes; sed occasione tantum ab Augustino tractatæ; quæ idcirco incurventes ab Cœlestino, aut alio quovis Capitulorum Collectore vocantur. Questiones tandem, quas latius, ut loquitur idem Pontifex, pertractat, & multis, variisque rationibus agit Augustinus, de illis vix tandem quidquam definiens: quales sunt hæc: Quomodo traducatur peccatum originale? Quæ sit concupiscentiæ natura? Quænam animæ origo? Aliæque id genus, de quibus Augustinus ipse, Libro de dono perseverantiæ capite 11. Operosissimas questiones incidentes, enudate solvere nolui, ne nimium longum opus esset. Has sicut non est ausus contemnere summus Pontifex, ita nec necesse habuit adstruere; uti nec illas adstruxerat Sanctissimus Doctor. Cui prudenti consilio morem gestisse videntur, secuto proxime sæculo, Episcopi Africani, ab Trafamundo Vandalorum Rege Ariano in exilium acti, (de quibus plura dicemus capite 13.) dum ita Epistola Synodica pronunciarunt, post gratuita prædestinationis, gratiæque victriçis doctrinam strenue propugnata: Questionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagatione veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod Sanctorum Scripturarum auctoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri: maxime quod sine fidei detrimendo potest a fidelibus ignorari. (apud Labb. Tom. 5. pag. 739.)

Nec me multum Baronii movet auctoritas, ad annum 431. pag. 516. scribentis, Prosperum ea Epistolæ clausula (hunc quippe Capitulorum Auctorem facit) professum esse, profundiores questiones illas de prædestinatione Sanctorum, nequaquam ab Apostolica Sede fuisse definitas. Certo enim certius est, Baronium incidentes duntaxat de divina prædestinatione questiones intellexisse; non illas ipsas, quæ motu Massiliensibus inter, & Prosperum controverfiæ summa pendeat, Launojo ipso

judice. Alias intra unam, eandemque paginam, fecum ipse pugnet purpuratus Historicus; qui byzteros Massilienses durius ibidem exagitat, quod Augustini doctrinam in suspitionem hæresis temere adducerent, omnesque sanctissimi Doctoris Libros, Cælestini elogio comendatos perfractæ negarent: quod utrumque pari audacia præstat terreticus Censor. Quamquam tamen, si quid illi aliter visum esset; imprudentis consilii fuerit, Scriptoris unius, & quidem postremæ ætatis testimonium, tot invictis momentis, ex ipsamet Cælestini Epistola delibatis, anteponeere velle.

## CAPUT X.

Prosperi, & Hilarii religiosa sollicitudo, in promovenda Augustini doctrina, recentis Apostolicæ Sedis oraculo consecrata, a Launojo calumnias vindicatur.

Quos, ut vastos, callidosque Cælestini I. palatores paulo ante traduxerat audacissimus Criminatorem, eosdem in præsentia uti lymphatos triumphatores insequitur: quasi Pontificio Rescripto malis artibus impetrato, peioribus abuterentur; ut sacra illa umbella tecti, Augustinianos errores, multo, quam antea confidatius, tota Gallia diffunderent. Novæ calumnias pingui præludit anachronismo. Prosperum, & Hilarium impetrato Cælestini Rescripto præfidentes, vulgato Carmine de Ingratis epinicionem cecidisse ait, cui Massilienses, edito Libello de protectione Dei, e vitigio reposerunt. (Pag. 77. & 78.) Quotquot tamen in re critica non omnino cæcitiunt, exploratum habent, heroicum carmen adversus Ingratos, nonnisi post vulgatum Massiliensium libellum de protectione Dei editum esse: imo post eximium D. Prosperi opus contra Collatorem, quo eam Semipelagianæ factionis Coryphæi scripturam confutavit, anno circiter 433. sublato jam Cælestino, & Sixto III. in Petri Sedem evecto. Quæ itaque forte suum illum Libellum Prosperi epinicionem objecissent Massilienses obtreçtatores?

Addo, male natum Cassiani Libellum de protectione Dei, non modo ante datum Cælestini Rescriptum, verum etiam ante datum ad superos Augustinum, prodidisse. Liquet id in primis ex Prefatione Librorum de Incarnatione Domini, quos idem ille Cassianus, contra Nestorianos, ante Synodum Ephesinam, anno videlicet 429. aut certe 430. publicavit. Ibi siquidem absolutos jam dudum a se Collationum spiritualium Libros, discretissime profertur: quos inter decimum tertium locum obtinet, qui de protectione Dei dictus est. Hoc idem ex Epistola nuncupatoria memorati Libelli, multo luculentius evincitur. Is enim, aliique sex Honorato dicantur, quem anno 429. ante Augustinum, extinctum esse, nemo nescit. Ac si rem penitus perpendamus, nondum Arelatensem Ecclesiam moderabatur Honoratus, dum hæc illi cum reliquis Collationem dicavit Cassianus, a quo frater, & ingenti fratrum cœnobio præfatus, præmissa Prefatione vocitatur. Cum igitur Honoratus anno 426. Arelate Episcopus federit, Libellum de Protectione Dei, seu 13. Cassiani Collationem, ante id temporis confarctinatum, oportet. Qui itaque fieri potuit, ut ad comprimentum Augustini discipulorum, impetrato Cælestini Rescripto abundantiam audaciam, a Massiliensibus vulgaretur?

At demus Launojo veniam, nec ferula manum, pro tam putido Anachronismo, subijcere compellamus. Quis ferat petulantem audaciam, quæ decimam tertiam Cassiani Collationem, errorum ab Ecclesia Catholica proscriptorum festinam

nam, cum erudita Divi Prosperi lucubratione, Catholici Orbis suffragio comprobata, non modo æquis ponderibus appendit, verum etiam antepontit, ac pluris facit; tanquam dogmatum Orthodoxia, rationum pondere, Cassianus Prosperum superasset? Non ita profecto Gelasius Summus Pontifex, qui in Romano septuaginta Episcoporum Concilio, Prosperi Libros, inter Orthodoxorum Patrum Tractatus, summo cultu, ac veneratione recipiendos edixit; Cassiani vero lucubrationes, una cum Cælestii, Pelagii, Juliani scriptioibus, infamiae nota inussit. *Opuscula Beati Augustini Hipponensis Episcopi. Item Opuscula Beati Hieronymi Presbyteri. Item Opuscula Prosperi viri religiosissimi. . . . Item Opuscula, atque Tractatus omnium Orthodoxorum Patrum, qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ Romane consortio deviarunt, nec ab eius fide, vel predicatione sejuncti sunt; sed ipsius communionis, per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fidei participes, legendos decernimus. . . . Opuscula Cassiani apocrypha. . . . Hec, & omnia his similia, quæ Cælestius, Pelagius, Julianus Eclanensis, necnon & omnes hæresiarum, & omnesque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retineantur, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesiâ eliminata, atque cum suis Auctoribus, Auctorumque sequacibus, sub Anathematis indissolubili vinculo, in æternum confirmetur esse damnata.* (apud Labb. Tom. 5. pagg. 387. & 390.)

Ita Gelasius uno, eodemque judicio, & Prosperum celebrat, & Cassianum inurit: tametsi haud inscius esset, potissimum eos inter de gratuita prædestinatione, gratiæ victricis, controvertiam emeruisse. Quid Araucanarum Synodum memorem, totius Orbis veneratione, cultusque receptam; quæ spissos errores, ex hoc ipso de prædestinatione Dei libello, in quo Launojus delicias facit, pene syllabam expressos, sacro anathemate feriit: Augustini vero, Prosperi que sententias, quæ superciliosè Censori stonachum movent in fidei Canonibus transtulit; Felice IV. Pontifice Maximo iudicii formam perscribente? Quid Cassiodorum Libro 1. *Divinarum Institutionum capite 29.* asserentem, Cassianum de libero arbitrio, a Sancto Prospero jure inculpatum, & in rebus talibus excedentem sub caureta legendum? Quid Vigorem Africanum Episcopum, qui Cassiani dicta, ab Aquitano nostro fugillata obelo notavit, emendavitque? Quid Bernonem Augiensem Abbatem, qui in Libello ad Federicum Capell: ejusdem Collatoris errores ex Sancto Prospero recitavit, debitisque censuris inussit? Quid Tritheimium distinde notantem, idcirco Cassiani Opera ( *In Car. vir. LL.* ) inter apocrypha numerari, quia per Beatum Prosperum, de arbitrii libertate in certis reprehenditur? Quid Clementem VIII., qui traducta ad sacrum Tribunal Ludovici Molinæ doctrina, indicis Congressibus expendi jussit, num hæc cum damnatis Cassiani sententiis conveniret? Hæc si Launojus, vel leviter observasset, nusquam Cassianum in divinæ gratiæ controvertis cum Prospero contulisset; multo minus Aquitano relicto, in Collatoris sententiam, errorem verius dixerim, transtulisset.

Eja tamen, & missis Pontificum, Conciliorum, ac Patrum momentis, quibus Censoris audacissimi petulantia revincitur, constatam in Augustini discipulum, de amplificato præter jus, & æquum, Cælestini Rescripto, criminationem perpendamus. Prosper, inquit ille, in sua ad Cassianum Responsione, extremos ( *Pag. 30. & 31.* ) Augustini Libros, quorum occasione licet illi moverant Massilienses, Cælestini Rescripto probatos esse prædicabat; seu

quod universa absque discrimine laudarentur; seu quod una, eademque extremis illis Libellis doctrina contineretur, quæ prioribus, quos Pontificio judicio probatos adversarii fatebantur. Ea ille calliditate, Magistri doctrinam tueri adhibebatur. Bona tamen venia dixerim, pessima illum fide usum. Namque usque adeo certum est, primis Augustini operibus doctrinam posterioribus repugnante contineri, ut hoc ipsum ultro fassus esset, data ad Magistrum Epistola, ac tum postea respondens ad Excerpta Genuesium.

Verius ego Launojum pessima fide dixerim usum: nec vereor ne mihi quisquam veniam neget. Prosperum invideo profus argumentum, adversarium petere, nec tamen a dictis, dum ad Genueses scriberet; ( nihil quippe de his ad Magistrum, sed unus Hilarius condiscipulus ) resiliire, hac brevi observatione demonstrat. Massilienses viro tam nobili Cælestini I. Rescripto, ut se Pelagianorum adversarios jactabant, illico repositure, priores Augustini libros, quos illorum errores oppugnaverat, eo elogio commendari; non itidem illos, quos extrema manu, de Gratia, & libero arbitrio, de Correctione, & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum, deque Perseverantia dono; ad sopiendos Adrumeti, & Massiliæ tumultus, elucubravit. Prosper, ut hoc illis effugium occluderet, recentis Augustini libri, ad divinæ gratiæ defensionem; post adeptum Episcopatum elaboratis, seu ante, seu post adortos Pelagianos, eandem illis de gratuita vocatione, doctrinam contineri dixit, quæ postremis Opusculis tradebatur: nihilque idcirco caussæ esse, cur ea futili exceptione, Pontificio Decreto illuderetur. Do Prosperi verba: *lib. cont. Collatorem cap. 21.* *Ut itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio Episcopatus sui, multo prius quam oppugnatores gratiæ exurgerent, pro gratia disputavit; legantur tres ad Marcellinum ipsius Libri. Ad 5. Nolanum Episcopum Epistola retractetur; Ad Beatissimum quoque Apostolicæ Sedis tunc Presbyterum Sixtum, nunc vero Pontificem emisse pagine recurrantur. Ad Sanctum Pinianum, ad Valerium Comitem, ad servos Christi Timasium, & Jacobum distinctim edita volumina revolvantur; sex Libri priores contra Julianum; unus ad sanctum Aurelium Carthaginis Episcopum, de Gestis Palestinis; alius ad Paulum, & Eusebium Sacerdotes, contra Pelagium, & Cælestii Questiones; & ad beatæ memoriæ Papam Bonifacium quatuor volumina recensentur. Et si in iis omnibus operibus, multisque aliis, quæ annuere longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem predicationis forma præcessit. Ac re ipsa sic est: gratuita fecundum Dei propositum vocatio, iis ipsis Libris, quos Pontificio Decreto probatos adversarii fatebantur, statuitur, defenditur, propugnatur. Quid vero efficacissimum Prosperi argumento officiebat, si ( quod in Responso ad excerpta Genuesium fassus est ) contrarium errorem asseruerat Augustinus, antequam regendam præponeretur Ecclesiæ; cum hos ipsos, quibus eundem creatus Episcopus revocaverat, oppugnaverat, confutaverat, libros, ab Apostolica Sede probatos agnoscerent Massilienses?*

Eandem illam, quam Launojo recedere libuit, Massiliensium exceptionem, ipsa rerum gestarum series multo luculentius futilem probat. Traducebatur siquidem ab æmulo Augustinus, quod Libellis extrema manu elaboratis, debitum modum excessisset: harum præsertim lucubrationum occasione, sanctissimum gratiæ vindicem, tanquam erroris suspitione laborantem infestabantur: hac ipsa doctrina parte, quam iis opusculis propugnabat, Magistrum optimum venerari, atque suscipere detrectabant, eidemque non sine stomacho obstitabant.

bant. Quid invenitur Cælestium, audita Prosperi, & Hilari denunciatione? Æmulis obreclatoribus silentium indixit: *Corripiantur hujusmodi, inquit datus ad Gallos Epistolis, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Illos præfidentes, & oblocutores esse censuit, qui piissimum disputatorem debitos fines excessisset dicerent, eisque placitis repugnarent. Piissimis Disputatoribus obviare præsumunt. . . . Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquantur. Augustinum autem, & Magistrum optimum, & constanti apud omnes honore habitam, & nulla unquam sinistra suspitione asperum pronuntiavit. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus; nec unquam hanc sinistra suspitionis falsam rumor asperit: quem tanto scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui unique cunctis, & honoris fuerit, & amoris.* ( apud Labb. Tom. 3. pag. 470. ) Extrema igitur sancti Doctoris opuscula, de quibus questio vertebatur, potissime comprobasse censendus est Cælestium: Alias non modo nihil ad institutum, nihil ad rem, nihil ad sopiendos Massiliæ turbines respondisset; sed nullus plane Rescripto sensus esset, nulla concinnitas, nulla ratio.

Ea de re dubium movisse Launojum, imo dogma catholicum de gratuita ad primam gratiam, fideique initium vocatione, postremis illis opusculis de industria vindicatum fugillasse; erroremque oppositum, ab Augustino Ecclesiæ regimini non admodum imprudenter assertum ebibisse, haud satis capio: cum subjecta Epistolæ Cælestini Capitula, ipsius esse patet, datique Rescripti partem constare. ( *Pag. 76.* ) Equo ergo pacto ab generali Augustinianorum operum commendatione, postrema illa opuscula excepta voluisset Cælestinus, quorum tamen summam subjectis Capitulis expressit? Cur gratiam ad initium fidei vocationem, iis opusculis vindicatum, approbatione sua indignam exitimasset, quam sacris illis fidei regulis inferuit, uti superiori capite demonstravimus? Quamquam si quod dubium, de approbatione ab Apostolica Sede postremis Augustini Libris, initio esse poterat, dum ea diffidia Massiliæ ferrebat; illud ab Hormida Romano Pontifice sublatum nosse debeuerat Theologus Parisiensis, Epistola 70. ad Possessorum scribente: *De libero tamen arbitrio, & gratia Dei, quod Romana ( hoc est, Catholica ) sequatur, & assereret Ecclesiæ licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum ( qui omnium postremi sunt ) cognosci possit.* ( apud Labb. Tom. 5. pag. 664. )

Inique igitur, de amplificato præter jus, & æquum Cælestini I. Rescripto, Prosperum accusat ineptissimum Censor; insulsaque Massiliensium calumnias, quæ Augustini doctrinam infamare nitentur, tanquam optimo jure nixas, nec nisi catholica dogmata complexas, instaurat: ( *Pag. 81. 83.* ) Luculentissimæque Aquitani discipuli Responsiones, ad Capitula Gallorum, Vincentianaque objectiones, quæ nefaria doctrinæ capita, Magistro per summam injuriam affingi demonstravit, & portentosa, quæ illi in faciem illidebantur doctrinæ consecraria tueri veritus, sublesta excusatione, Magistrum deseruerit patius, quam defendere, damnarit verius, quam absoloverit. ( *Pag. 85.* ) Quæ tibi Launojo tam iniquæ censure ratio? Prosper enim se ne latum quidem unquam a Magistro doctrina recessurum spondet, sua illa ad Gallorum capitula Responsione: *Ne ergo, inquit il-*

Serry Tom. V.

le, hanc persuasionem tenere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse Doctoris, qualem cum, qui frustra calumniantur, ostentant; singulis capitulis, quæ Damnationis titulo prænotantur, brevi, & absoluta professione respondeo; in nullo recedens a tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur. Audite festivi Censoris decretorum argumentum, quo Prosperi retibus involvere sibi putat: ( *Pag. 86.* ) *Adeo certum est, Augustinum doctrinæ capitula, Gallorum criminationibus contenta, quo sensu erroris notabantur, docuisse, ac propugnasse; ut id Prosper ipse data ad eundem Epistola, atque alibi fassus esset, uti jam dictum est. Imo illa eadem ad hanc usque diem, adversus Massiliæ Presbyteros, eodem sensu ipsemet propugnaverat, quemadmodum ex paulo ante narratis perspicuum est. Erras Launojo, erras: nec modo quid, aut quo sensu docuerint Augustinus, & Prosper ignoras, sed quid ipse scripseris, ac narraveris necis. Nusquam enim a te dictum antea narratumque est, multo minus probatum, geminos illos divinæ gratiæ vindices, doctrinæ capita Gallorum criminationibus contenta, quo sensu in invidiam trahebantur, docuisse, ac propugnasse. Equidem accipites, variisque sensibus obnoxias Augustini phrasas, de Christi Sanguine pro solis electis effuso, de consecuta ex Adami peccato necessitate, de amissa pristina libertate, de quorundam hominum defectione, alisque id generis, identidem recitasti: at quæ ambiguis ac veritatibus verbis notio subjecta esset ( quod ad fugillandas Prosperi responsiones, operæ pretium fuerat ) ne quidem obiter attingisti. Tametsi quid antea dixeris, neminem pato sollicitum haberi; qui cum multa ubique dicas, nihil usquam probas. Nos Augustini sensum in aperto posuimus capp. 2., & 7. nihilque ab eo scriptum ostendimus, quam quod Concilia, atque Pontifices, adversus divinæ gratiæ oppugnatores statuerunt.*

## CAPUT XI.

Launojo, de Auctore Librorum de Vocatione gentium aberrationes, calumnia, diffidia reselluntur. Vincentii Livinensis Communitorium exsufflatur.

Ugillatis Divi Prosperi adversus Gallorum capitula responsionibus, Hilarium, alterum Augustini discipulum, cui Libros de vocatione gentium affingit, in scenam vocat tertricus Censor; eumque uti fidum, rectum, & simulationis artificium eruditum immodico sale defricat. *Elisis, inquit, ( Pag. 86. ) Augustiniana scissionis consiliis, justamque ubivis repulsam passis, quandiu Magistri doctrinam detracta larva propugnatur; id demum venit in mentem, ut novum de Vocatione gentium librum omitterent: cujus Auctor Hilarius vulgo creditus, simulata persona, neutrius dissidentium partis studium affectat; interim tamen, de nota, inter gratiæ se ipsa efficacis vindices, & liberi arbitrii defensores, controversa mentem aperiens, Augustini sententiam novis pigmentis obductam, cate, callideque Lectorum animis instillare nititur, uti jam nunc demonstrabimus.* Quo dato prologo, librorum summam colligit haud satis integra fide.

Miranda censoris ars! qui cum libros de vocatione gentium a viris critica scientiæ peritis, tam variis auctoribus tribui non ignoret, illos tamen Augustini discipulis, ac nominatim Hilario, ex vulgi, ut inquit, judicio, certo tribuit: ut si quæ in iis Augustinianæ doctrinæ mitigatio, ac mollitudo reprehenditur, id causæ, quam tuebantur, damno vertatur; quasi jam dissidentem pedem referrent, & Magistri sententiam, non nisi

pristina duritie exutam tuerentur. Pessime tamen omnium calculum figit, ac vix ullum alicujus nominis auctorem habet, qui publicam fidem appellat. Hilario quidem Libros illos subdubitater adjudicant Latius, & Vossius in Historiis Pelagianis: at non Augustini discipulo, a cujus stilo profus abhorrent, sed Arelateni Episcopo; cui tamen, ob doctrinae repugnantiam, adscribi non possunt; cum esset is e Semipelagianae sectae principibus unus. Eucherium Lugdunensem, illorum Auctorem aliqui faciunt: alii Prosperum Aurelianensem Episcopum, Sancti Aniani successorem: Prosperum Aquitanicum longe plures. Eosdem Divo Ambrosio veteres editiones non pauca tribuunt: novissime tandem Leoni magno haude levibus momentis Quenellius adjudicavit. Ut quid ergo Augustini discipulorum caliditati, simulationi, industriae deputetur, si quid forte mollius, de divinae gratiae controversiis horum Librorum Auctor pronunciasset, & ab severiori Augustini sententia deflexisset?

Verum ne eo quidem capite peccavit eruditissimus Scriptor, quisquis tandem ille sit, sed ita Augustini vestigiis insitit, ut quae ex illo profertur ab tetrico Censore loquendi formulae, sanctissimo Doctore in speciem repugnantes, nullo negotio conciliantur.

Prior gratiam attinet generalem, quam universis hominibus, ac ipsis etiam parvulis sine baptismo sublati, communem facit Auctor ille lib. 2. cap. 15. Adhibita enim semper est, inquit, universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parvior occultiorisque gratiae fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad verum, omnibus ad testimonium. Et capite 23. Non irreligiose arbitror credi, neque inconveniens intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus: quia utique si bene eorum parentes uterentur, etiam ipsi per eosdem jurarentur. At communis gratiae nomine externa, ac naturalia Dei dona intellexisse, quae universis hominibus praesto sunt; aut certe auribus infansentem Moisaica, aut Evangelicae legis vocem, inde profecto perceptam est, quod veram Christi gratiam, communem omnibus neget Libro 1. cap. 13. Quod si aliquis (sicut videmus accidere) salvantis gratia praeterierit, inquit, & pro eis oratio Ecclesiae recepta non fuerit, ad occulta divinae justitiae iusticia referendum, & agnoscendum est secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Et Libro 2. cap. 19. Qui exsortes gratiae fuerint, de sua nequitia redarguantur: & qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino gloriantur. Quae vero parvulis adfata gratia dicitur, si ea parentes illorum bene uterentur, non Baptismatis utique est; quasi pueri parentum merito, sacro lavacro tingantur; sed alia longe diversa, generalia Creatoris beneficia continens: quae licet per se se recipere non potuerint, acceperunt nihilominus in parentibus, quorum pars quaedam censetur esse, donec ab illis nondum rationalis infantiae exordiis emerferint. Baptismatis quippe gratiam, nullo spectato merito genitorum, parvulis tribui, vel negari docet eruditus Auctor; uti plane suam ipsi gratiam nullis praeviis meritis obtinent genitores. Sicut autem, inquit ille lib. 2. cap. 23. circa majores, praeter illam generalem gratiam parvulis, atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exercitur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quae quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus desunt, sed iis, qui renati sunt, praeparantibus adfuit: ita ut multis saepe quos suorum

impietas deseruit, alienorum cura servierit; & ad regenerationem venerint per extraneos, quae eis providenda non erat per proximos.

Altera loquendi formula Augustini principiis prima fronte repugnans legitur Libro 2. cap. 34. ubi propositum praescientiae innoxium videtur admittere. Contra hanc, inquit, invidet veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobrie dicere, superfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus, Christianae gratiae subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quam Omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui se ingeniose hoc arbitrantur opponere; non intelligunt scientiam Dei, quae, & praeterita, & praesentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu ejus adhaere ea, quae gerenda sunt, quam illa, quae aut geruntur, aut gesta sunt. Verum quidni praescientiae nominis praedestinationem intelligamus, hoc est, praescientiam, non decreto praeviam, sed eidem innixam, qua nimirum ea praenovit Deus, quae gratiae suae virtute facturus erat? juxta celebre illud Augustini pronuntiatum Libro de Dono perseverantiae capite 18. & 19. Praedestinasse, est hoc praescisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere?

Tertia demum loquendi formula habetur eodem lib. 2. cap. 35. ubi electionem ad gloriam a meritis pendulam facit: Deus, inquit, his, quos eligit sine meritis, dat unde oriantur, & meritis. Ibidem pag. 184. Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. Sed etsi de electionis executione, ultima illa verba intelligi queant, quae quisque, confecto mortali aevi spatio, bonorum operum fructum percipit; ea tamen, ex fide coelicis Mss. Bibliothecae Thuanae, cui alia duo Vaticana plane consonant, hoc modo retituit eruditus Quenellius dissertatione 2. de Auctore Librorum de vocatione gentium: Deus ergo his, quos eligit sine meritis, dat unde oriantur & meritis: & frustra dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cum etiam ad hoc ut operentur, electi sint. Qua lectione sic restituta, non modo difficultas omnis evanescit, verum etiam Augustinianae doctrinae caput, de gratuita praedestinatione; locupletissimo testimonio confirmatur.

Praecipitem Launoji censuram, in eximium Librorum de vocatione gentium Auctorem, ingenti temeritate districam castigat Gelafius summus Pontifex, Librorum severissimus Censor, idemque aestimator aequissimus, in Opusculo contra Pelagianos, ubi ejus magna cum laudis, & honoris praefatione, suffragium advocat: Sicut quidam, inquit, Magister Ecclesiae sapienter edocuit, dicens: ad magnam enim utilitatem fidelium, materia est servata certaminum: ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Quae verba legere est apud Labbeum tom. 5. pag. 374. Nempe sapientem Ecclesiae Magistrum vocat Romae Pontifex, quem fictum, rectum, simulationis artificem eruditum, errorumque mangonem appellat Traditionis Confarcinator.

Jam illud, cujus cacoethes est, & insulsa, tri-candi libidinis, quod subsicit e vestigio Vincentium scilicet Lirinensem, cum Augustini discipulos iis libris editis gradum specie reus deseruisse deprehenderet, Commonitorium adornasse, ut illorum doctrinam aperto Marte confutaret? Quid si Commonitorium diu antea editum contiter, quam Libri de vocatione gentium vulgarentur? Si-

Siquidem cap. 42. laudat Vincentium Concilium ante triennium ferme in Asia apud Ephesum, a ducentis fere numero Sacerdotibus, adversus Nestorium celebratum. Cum itaque anno 431. celebrata sit Synodus Ephesina, Commonitorium anno 434., qui quintus duntaxat ab exitis Massiliae turbis, motibus de divina gratia controversiis agebatur, adornatum fuisse necesse est. Ceterum Libros de vocatione gentium, non nisi longo post tempore, publicam lucem aspexisse, verba initio posita planum faciunt: Inter defensores liberi arbitrii, & predicatoris gratiae Dei, magna, & difficilis dudum vertitur questio... De hac igitur compugnantis opinionum, qua mensura, & temperantia sciendum sit, quantum Dominus adjuverit, antiar inquirere; exercens, atque discutiens modulum facultatis meae, in his, quae cordi meo sobrio (quantum arbitror) inhaerent. Non itaque Vincentium ad edendum Commonitorium incitavit vulgatum de vocatione gentium eximium opus; sed una Augustini recte, & per cuniculos fugilandi libido: quod illi quam infeliciter cesserit, nemo non facile deprehendit.

Primum enim gratiam petentibus, quaerentibus, pulsantibus dari contendit cap. 37. non ut petamus, quaramus, atque pulsemus: quem errorem anathemate ferit Synodus Arausiana II. Canone 6. Gratiam specialem, ac personalem, necnon singulare perseverantiae donum electis adjudicat, pingui nimis errore, in memorata Synodo subinde confosso Canone 10., ac demum in Concilio Tridentino sessione 6. Canone 22. Quodque stupendum magis, nobile Coelestini I. Rescriptum, quo Augustinum miris laudibus extulit, ejusque obreclatoribus silentium indixit, nugaci prorsus argutia detorquet in Augustinum; quasi is Pontificio iudicio reclusus esset in ordinem, ejusque discipuli tanquam novatores silentio damnati, iis datae ad Gallos Epistolae verba: Desinat, si ita est, incessere novitas vestra. Non advertit enim imprudens, hanc inducta novitatis labem, non Augustini discipulis, quos una cum Magistro laudibus celebrat Coelestinus, aspergi dato Rescripto, sed Massiliensibus obreclatoribus, de quibus religiosi delatores exposulaverant: quod verbis capite 9. laudatis usque adeo perspectum est, ut Vincentium Lirinensem non solum mente, sed, & sensu captum fuisse necesse sit, qui aliam Pontificis verba notionem subijci somniavit.

Ludam operam, si veteris memoriae scriptores in censum vocavero, qui rectam Coelestini Epistolae intelligentiam tradiderunt. Unus omnium vice fuerit Photius, omni in Augustinum affectu liber, & in Ecclesia Graeca, sancto Doctore, ut quidam autumat, minus propitia, educatus, in Bibliotheca codice 54. ut in 2. part. appendicis operum S. August. Tom. X. pag. 66. & 67. Post Sancti Augustini mortem ceperunt quidam in clero impium illud dogma asserere, malo etiam loqui de Augustino, atque adeo conviciis incessere, tanquam arbitrii libertatem ablatam docuisset. Verum Coelestinus Pontifex Romanus, de sancto viro, & contra eos, qui hanc haeresim excusitarent, ejus Regionis Episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit. Et tamen qua festivitate, qua pompa insulsum Vincentii Lirinensis interpretamentum nobis Launojus obtrudit, ut illustre Coelestini elogium Augustino eripiat? (Pag. 94.) Qua fiducia Semipelagianae factionis virum, Ecclesiasticae de divina gratia Traditionis testem advocat, ut Sanctissimi Doctoris discipulos naso suspendat? Hoc sane est Censoris nostri acre iudicium, hoc prudentis, & acuti criterii specimen.

Haud me fugit Vincentii Lirinensis Commonitorium, adversus prophanas omnium haeresum Serry Tom. V.

novitates, densatis insignium Scriptorum elogiis celebrari. At nec Launojum fugere debuit, duo longe diversa eo in libro fecernenda esse: unum quidem de industria, ac principe studio tractatum, ac demonstratum; alterum oblique, recte, ac per cuniculos insinuatum. Primum est, antiquitatem doctrinae esse retinendam, fugiendamque dogmatum in rebus fidei novitatem; cui uni de industria stabilendo Commonitorium ferme totum quod extat, nempe liber ejusdem primus impenditur. Alterum est Augustini doctrinam, de initio fidei ex gratia, de singulari perseverantiae dono, deque gratuita praedestinatione, novam esse, superiorum saeculorum Patribus incognitam, atque ita Coelestini Rescripto damnatam. In praeiudicando, probandoque dogmate, uti Ecclesia Catholica causam egit, ita Augustinum magistrum, ac ducem habuit, cujus etiam verba amulari visus est, Libro 2. contra Julianum Pelagianum exarata capite ultimo: ubi cum ex Patrum doctrina, Pelagianae haeresis novitatem ostendisset, ita demum colligit sanctissimus Doctor: Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, edificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo prophanas voces vestrae novitates expavit &c. Atque ob id unum ex auctoritate disputatum, eruditorem omnium linguas in sui praecionum solvit Vincentius Lirinensis; quod Traditionis investigandae, catholiceque dogmatis ab haeresi fecernendi regulas figat, summo omnium assensu probatas, atque receptas. Ceteram alterum oblique, obiterque tentatum in Augustinum, ut illum affectatae novitatis invidia oneraret, Catholicorum nemo laudavit. Imo tot illas olim ab eruditissimis omnium gentium, ac partium laudes obtinuit celebre Vincentii Commonitorium, quod vix ullus ante Gerardum Vossium, & Cardinalem Norium, audacem illum in Augustinum molitionem detexisset; (mire enim testis est, & ambiguis phrasibus involuta, Augustino, ejusque discipulis ne quidem ex nomine appellatis) aliusque vulgo crederetur, quam qui objectionum Vincentianarum Auctor est. Verum ex quo tempore viris emunctae naribus innotuit, Semipelagianae scholae doctorem tanto magis in Hipponensis Praefulis placita latenter invehi, quanto in omnes alias haereses studiosius insurgere prima fronte conspiciatur, laudibus temperantur; editumque pro Catholicae fidei antiquitate Commonitorium, instar Canonum Antiochenorum, mala vadicis non malum per omnia fructum appellaturant. Launus in Notis ad Dicta Greg.

CAPUT XII.

Afflicta Augustino, ejusque discipulis haereses Praedestinatae nota depellitur.

QUAM diversa, de haeresi Praedestinata, eruditorem judicia fuerint, lippis, ac tonforibus notum arbitror. Horum bona pars, ac meo quidem iudicio melior, Semipelagianorum commentum existimat, qui cum ab Augustini discipulis, modo ingratis, modo Pelagianorum reliquis, ignominiae causa vocarentur, Proferunt, ejusque sectatores, ut parem vicem rependerent, Praedestinatos nuncuparunt; iisque horrida de praedestinatione dogmata, per summam invidiam affricuerunt, de quibus, ne quidem per somnium cogitarent. Addunt quibus ita sentire libet, Fautum profunda calliditate virum, (S. Istd. d. de viris ill. c. 14.) totiusque jam Semipelagianae factionis, extincto Cassiano, primipulum, telam illam in Lucidam obscuri aliunde nominis Presbyterum, texuisse malo animo? Synodos Arelatensem, ac Lugdunensem ab eo laudat.

datas, ubi ad palinodiam adactus dicitur horridorum dogmatum assertor, aut commentitias proferre esse, aut mera Semipelagianorum conventicula; quorum nulla seculo illo, nisi apud eisdem secula Scriptores, memoria extet.

Ea Sancto Prudentio Trecenti Episcopo de heresi Prædestiniana adhæsit opinio, seculo nono. Cum enim Hingmari factio, eam Gottescalchi defensoribus hæresim in faciem illideret, ita sanctissimus Præsul reponerat, *Libro contra Joannem Erigenam cap. 4. Tertiam vero (heresim) quam Pelagianis contrariam asserit, qua ita donum gratie prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legitur, nec audivimus. . . . Nescio quem eloquio tua verba hæresos denotare volueris, nisi Beati Augustini dictorum, que præmissimus, imo Catholicorum omnium fideliter, veraciterque sequaces. Adhæsit, & Sancto Remigio, eandem criminationem repellenti, una cum celebri, cui præerat, Ecclesia Lugdunensi, Libro adversus eundem Scutum Erigenam exarato, cap. 4. Secunda Heresis, inquit, quam dicit esse gratie solius: Que sit, vel fuerit in Ecclesia, que ita prædicaverit, sola Dei gratia hominem salvare, ut liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium, nobis minime conperitum est. Et paucis interjectis: Que est ista secunda heresis, tam incognita, tam nova, & inaudita, que libero arbitrio denegato, solius gratie sit prædicatrix? Nisi quia (ut nobis videtur,) disputator iste, vel Beatum Augustinum latenter quasi hereticum accusat: &c. Que verba nusquam Ecclesie Lugdunensi, ejusque eruditissimo Præsuli excidissent, si non modo hæc ipsa heresis extitisset, verum etiam in ejusdem Ecclesie Synodo proscripta esset. Cæteros recentioris avi scriptores, queis hoc idem visum est, silentio mitto, Usserium, Mauguinum, Caballutium, Macedum, Contentonium, aliosque numero plures.*

Eruditorum pars altera, cui Prædestinationum hæresim fictitiam dicere religio est, ne Faustum tantæ fraudis invidia oneret; Lucidumque re ipsa iis erroribus adhæsisse putat, quos illi Rejenis Antistes ascribit, eundem tamen sinistra Augustiniana doctrinæ intelligentia delusum asserit, totoque celo ab ejus sententia exorbitasse, certissime ponit. Ita Tyro Prosper in Chronico ad annum Honorii 23. juxta geminæ Bibliothecæ, Colonienis ac Lugdunensis lectionem: Prædestinationum heresis, que ab Augustini Libris male intellectis, accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa. Nonnulli codices non habent, male intellectis. Ita Auctor Prædestinati a Sirmondo editus Tomo 28. postremæ Bibliothecæ Patrum, Libro 1. heresi 90. Nonagesima heresis, inquit, quam in præfatione nostra diximus, de nomine Augustini Episcopi esse mentiam, Prædestinationum nomen accepit. Et Libro 3. Nonagesimam heresim Prædestinati fecerunt, ostendentes Libros falsos, quos Augustini confingunt; cujus dicta in multis locis leguntur istis Libris valde contraria. Ita Sigbertus Monachus Gemblacensis ad annum Christi 415. Prædestinationum heresis hoc tempore cepit serpere; qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione, & divina gratia disputantes asseriebant, quod nec pie viventibus profuit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obste, quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Que assertio & bonos a bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc heresis ex Libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur.

Quocumque ergo res cadat, Augustinus in vado est, & Launojanæ calumniæ statum eludit. Si enim Prædestinarianam hæresim purum, putumque figmentum cum prioribus dicimus, do-

Arinam Augustinianam, Ecclesie judicio nequam inuistam, facillime colligemus. Si autem extitisse re ipsa cum cæteris opinamur, Lucidumque eos errores propugnasse contendimus, quos illi Faustus attribuit; sed falsa sancti Doctoris intelligentia deceptum, toto ab ejus mente ostio aberrasse: tam non in Lucido damnatum censetur Augustinus, quam nec in Ario, aut Nestorio sacri Codices, quorum sinistra interpretatione delusi novatores, impia dogmata delirant. Nec ulla idcirco labe sanctissimo Doctore inuritur: Neque enim, ut scite monet Facundus Hermianensis Lib. contra Motianum, ut apud Sirmondum pag. 587. Tom. 2. melius loqui potuit Augustinus, quam Prophetæ, quam Apostoli, & Evangeliste, quorum mentibus similiter male intellectis, & incongrue adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores.

Sed quid ad hæc Traditionis investigator? Noyam in veteri spatio viam aperit, ut Augustinus sub Prædestinationum corio vapulet. Prædestinarianam hæresim, non ex sinistra librorum ejus interpretatione initium duxisse, sed finceram, atque germanam ejusdem doctrinam complecti, fidenter pronunciat: Lucidumque in Synodo Arelateni damnatum, non falsum tanti Doctoris interpretem, sed fidum plane discipulum, imo discipulorum, totiusque jam seculæ principem dicit. (Pag. 100.) Ad dicit tantum: momenta queis inauditum paradoxum adstrueret calamo hæserant. Unde tibi, Launoj, tantum audacia; ut præterire nullo, ductore nullo, auctore nullo, cuncta, ut libet, ut lubet, effutias? Quis tibi Lucidum Augustini discipulum fecit, ac totius factionis coryphæum? Quis tibi horrida dogmata, ab eodem ex Arelateni Synodi scripto ejurata, tanti Magistri, totiusque scholæ decreta commentus est? Nemo omnium.

Quam procul ab Augustino, ejusque discipulis abjerit Lucidus ille, id, vel unum ad Launoii dedecus luculenter ostendit, quod fenas ejus assertiones in palinodie Libello contentas, & a Gennadio, non paucis immutatis, recensitas, ut injusta opprobria, & ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia, sibi, atque Magistro per summam calumniam afficta confutaverit D. Prosper, in suis ad Capitula Gallorum, & ad objectiones Vincentianas responsionibus; priori duntaxat excepta, de qua apud Aquitanicum nihil, sed ab ipsomet Augustino rejecta est. Rem totam brevi collatione conficio.

Prior Libelli assertio erat: Labor humane obedientie, divine gratie non est adiungendus. Augustinus e contra Libro de Dono Persever. Cap. 22. Vos itaque, inquit, etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminis, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus postere, atque hoc faciendo considerare, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Et cap. 15. Non detremur a confutanda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: Sive nunc recte vivatis, sive non recte, tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos. Numquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem, segnitieque vertantur, & a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est?

Alter Libelli assertio sic habebat: Post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extirpatum est. Sexta Gallorum calumnia erat, a Prospero confutata: liberum arbitrium in homine nihil est.

Ter-

Tertia Libelli propositio his verbis expressa erat: Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute suscepit. Nona Gallorum calumnia ab Aquitano depulsa in idem plane recidebat: Non pro totius mundi redemptione Salvator est crucifixus: Cui etiam gemina profus est prima objectio Vincentiana: Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemptione passus est. Quocirca recole, quæ diximus capite 2. ad primam, alteramque propositionem tertii indiculi.

Quarta Libelli propositio succedit: Præscientia Dei hominem violenter impellit ad salutem: vel, Dei perent voluntate, qui perent. Hæc ipsa est prima Gallorum criminatio, quam sibi, suisque perperam affictam ostendit D. Prosper: Ex prædestinatione Dei velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi coguntur ad mortem.

Quinta Libelli propositio sequitur: Post acceptum legitimum baptismum, in Adam moritur quicumque deliquit. Cui secunda Gallorum accusatio, ab Augustini discipulo falsi postulata plane respondet: Ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferit percepta Christi gratia originale peccatum.

Ultima tandem Libelli propositio sic habebat: Alii deputati sunt ad mortem, alii ad vitam prædestinati. Quam assertionem pravo sensu acceptam confutat D. Prosper, decimæ quintæ Gallorum calumniæ satisfaciens, in hunc modum: Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cum bona ad largiorem, cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creature nequitiam referenda sint: dubium non est, si ne ulla temporali differentia, Deum & præscisse simul, & prædestinasse, que ipso erant auctore faciendi, vel que malis meritis justo erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, que non ex ipso erant causam operationis habitura.

Primus in Gennadii catalogo Prædestinationum error hac thesi continebatur: Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum oneret mundas. Incidit in decimum tertium capitulum Gallorum, de quo jam capite 2. diximus ad propositionem 2. secundam indiculi, quo assertiones Augustino ab Launojo perperam affictæ continentur.

Secundus error, juxta eundem Gennadium, is erat: Etsi generali prædicatione dicat Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, non tamen omnes ea voluntate vocat, ut omnes sequantur vocantem. A quinta Gallorum calumnia nihilo differt: Qui vocati sunt, non æqualiter sunt vocati, sed alii, ut crederent, alii, ut non crederent. Cujus pravam intelligentiam, suo, ac suorum nomine repudiat doctissimus Aquitanus.

Tertius error his verbis expressus erat: Non omnes, qui ipso (Deo) inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores, & justitiam fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendis eis vires agendi, ne perdurent in bono. Quam blasphemiam, ab Augustino, ejusque discipulo distincte rejectam probavimus capite 2. ad quartam propositionem secundi ordinis.

Quartus error hac petitione continebatur: Illi, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiam in perisidia, vel in omni genere peccati longo tempore voluntentur, accipient occasionem, qua, & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum. Quam tibi doctrinam

objectam, qua parte censuræ patere potest, rejicit Augustinus Libro de dono perseverantie cap. 15., & 16., quatenus nempe segnitiam, atque torporem videtur inducere; cujus verba paulo antea recitavimus.

Quintus sequitur error: Deus personas capitulum accipit: quem sibi quarto isto Gallorum capitulo, injuria tributum, queritur Prosper: Quæ omnes homines vocantur ad gratiam.

Sextus demum in Gennadii indiculo Prædestinationum error hoc ferali dogmate stabat: Alios etiam invitos post multa mala opera attrahit ad salutem, alios post bona reijcit, & compellit in malum, quo perent in æternum. Cui gemina est decima quarta objectio Vincentiana, ab Aquitano rejecta: Magna pars illa Christianorum Catholicorum, Fidelium, atque Sanctorum, que ad ruinam, & perditionem prædestinata est, etiam si petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quod mutari non potest divina prædestinatio, que illos præordinavit, preparavit, præcipit, ut caderent.

(Pag. 101.) Non igitur per Lucidi latus, Augustini doctrinam, in Synodi Arelateni, & Lugdunensi, petita est, quod inflatis tibiis clamat Launojus; sed nefaria consecraria, a Semipelagianis inique deducta, ab Augustino, ejusque discipulis aperte rejecta, sed a Lucido per summam inficitiam devorata, a Gallie Præsulibus inusta sunt. Cum enim Semipelagianæ seculæ doctores, ingenio, & disputandi solertia præstantes, subtilia in Augustiniana doctrinæ professores argumenta exererent, variaque ex ejus principis absurda dogmata deducerent: Lucidus, ut erat obitio ingenio, malo fato succubuit, & ad infana paradoxa concedenda coactus est; quæ cæteri valentiores, ex Augustini, & Prosperi responsionibus, nullo negotio refellebant.

Faultum, Gennadium, Arnobium juniorem, cæterosque in Augustinum male animatos, ea geminæ Synodi sententia, in imperitum, & pinguioris minervæ sacrificium pronunciat, palam abusus, ut pristinas seculæ suæ calumniis instaurarent, ut gratiam efficacem, gratuitamque prædestinationem exploderent, ut initia fidei humanæ voluntatis conatibus darent, ut Augustinianos Prædestinationum nomine infamarent, haud dubium est. Faultus enim demandatam sibi ab Synodo Arelateni confutandæ hereseos Prædestinarianæ provinciam prætergressus, geminos de Gratia, & libero arbitrio Libellos, Massiliensium erroribus infarsit. Gennadius edito Virorum illustrium Indiculo, Augustini de prædestinatione sententiam, errorem sermone multo contractum, & lucra hostium exaggeratum effudit cap. 38., ac tantum non ut apertam hæresim damnavit: Prosperum Aquitanum, uti homuncionem & infamem alienæ gloriæ decurtatorem traduxit: Cassianique doctrinam ab Ecclesia probatam mentitus est. Arnobius junior, per speciem prædestinarianæ hereseos oppugnandæ prædestinationis mysterium amolitus est: originale peccatum de medio pene fustulit: fidei demque naturæ viribus tribuit, in suis ad Psalmos Commentariis. (Psalm. 50. 91. 103. 108. 120. 126. 146.) Sic illi lata in Lucidum censura abusi turpiter. Quo itaque jure, ne dicam qua fronte, quave audacia, apertos illos Semipelagianæ seculæ professores, uti catholicæ de gratia, & prædestinatione doctrinæ Magistros Launojos ostentat, (Pag. 98. & 99.) qui sacrum depositum integra fide servarint, & ad nos usque transmiserint? Qua lege vulgatas ab iis adversus Augustini discipulos scriptioes, tanquam Traditionis Ecclesiasticæ promptuarium, unde certa hoc de argumento doctrina repeti debeat, laudibus effert, Ec-

Ecclesie iudicio palam, aperteque repugnans? Nota siquidem Gelasii Summi Pontificis, & Romanæ septuaginta Episcoporum Synodi, in Faustii, & Arnobii libros ditricia censura: *Opuscula Faustii Rejensis Galliarum Apocrypha . . . Opuscula Arnobii Apocrypha*. Quo iudicio non solum suprema auctoritate, ut olim Sirmondo reponere libuit, libri illi exuti sunt; sed eadem cum Ioviniani, Galli, Montani, Priscilla, Maximilla, Faustii alterius Manichæi opusculis, infamiae nota inusti, & inter hereticorum, & schismaticorum quinquillas, quas nullatenus Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia recipit, amandati; (apud Labbæum Tom. 5. pag. 388. & 390.) Nota Hormisdæ Pontificis, a Possessore de Faustii libris sententiam rogati, per litteras data responsio: *Hi vero, quos vos de Faustii cuiusdam Galli Antistitis, dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum habeant. Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholice fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosi præiudicium comparare*: (apud Labb. Tom. 5. pag. 663.) Nota Africanorum Episcoporum in Sardinia pro catholica fide exulum Epistolæ Synodica, qua memorati Faustii commenta veritati contraria, catholice fidei penitus inimica pronunciantur. Nota, ut paucis multa complectar, Cardinalis Baronii prudens anintradverio Tomo 6. *Annalium ad annum 490. Non est quidem, ut pro Faustio aliqua possit in eius defensionem vel excusationem Apologia elaborari, quem constat in universo Orbe Catholico impugnatum. Etenim in Occidente Celsarius, & Avitus doctissimi, atque sanctissimi in Galliis Episcopi adversariis eum scriptis exagitarunt, eundemque in Africa Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus septem Libris vehementissime oppugnavit . . . sed qui præstant his omnibus, Felix, atque Gelasius Romani Pontifices eadem Faustii scripta rejecerunt: ut plane universum Occidentalem Orbem in eisdem Faustii libris insurrexisset, eosque oppugnasse atque hæresis condemnasse manifestum sit. In Oriente vero non unus duntaxat (quem refert Ado) Ioannes Presbyter Antiochenus eos Faustii libros refellit, sed Oribodoxi fere omnes. Et hos tamen libros, ut egregia de divina gratia fidei monumenta a Theologo Parisiensi laudari? Hos, hos? Proh supere, mites animos!*

Ullud postremo non omiserim, Theologum nostrum in figenda editorum librorum epocha, pingui nimis anachronismo labi, quo tota perturbatur Prædestinatarum Historia; ut inde satis compertum sit, quam oscitanter calamum moverit. Faustum, Gennadium, Arnobium, Prosperum Tyronem, Libros concinnasse ait, (Pag. 99. & 100.) quibus Augustinum, alii quidem latentes, alii aperta fronte erroris insinulabant, omniaque periculose doctrinæ paradoxa cumulatisse refellebant . . . Quibus cum nihil apud ejusdem discipulos proficessent, horum unum nomine Lucidum, ac totius scilicet corypheum in jus vocarunt, apud Arelatenis Synodi Patres &c. At Faustum non nisi post celebratas Synodos Arelatensem, & Lugdunensem, in Augustinum, ejusque discipulos calamum acuisse; ac etiam implendæ, quæ sibi a Patribus demandata fuerat, Prædestinatarum exagitandi provinciæ occasione, virus in gratiæ Vincem effudisse, notissimum est. Hinc illa ejus ad Leontium verba, in totius operis Præfatione: *Quod pro sollicitudine pastoralis Beate Papa Leonti, in condemnando prædestinatarum errore, Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstistis. Quod vero ad ordinanda ea, quæ collatione publica doctissime protulistis . . . parum, ut veor, tanto negotio, parum sancta exi-*

stimationi vestre consulistis . . . In quo quidem Opusculo, post Arelatenis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjecti aliqua Synodus Lugdunensis exegit: (apud Labb. Tom. 5. pag. 127.) Gennadius etiam librum de Viris illustribus, quo se Augustini, ejusque discipulorum adversarium prodit, circa annum 494, qui decimus nonus ab Arelateni Synodo (Synodus Arelatenis anno 475. habita est) numeratur, elaboravit. Namque de Theodulo Presbytero sic habet: *Moritur hic Scriptor ante triennium, regnante Zenone: mortuus autem Zeno est anno 491. Eiusdem liber de Ecclesiasticis dogmatibus, in quo nonnihil Semipelagianis fermenti deprehenditur, edi non potuit ante annum 491, quo primum Gelasius Pontifex, ad quem statim ab Auctore transmissus est, Romæ fedit. Arnobius junior post damnatam duntaxat Arelate Prædestinatarum hæresim, suos in Psalmos Commentarios, eodem fermento resperos elucubravit; quippe, qui eam ex nomine appellat, in Psalmum 146., ejusdemque distincta capita inflectatur. Qui ergo fieri potuit, ut Augustini discipulos ad Arelatenem Synodum provocarent, quod iis libris exagitati, a pristinis dogmatibus abduci nollent; sed Magistri doctrinæ semel ebibitæ tenaciter hærent? Prosperum Tyronem, quod attinet, is nec Semipelagianus, nec Augustini adversarius haberi potest, si pura, & integra est laudata illius Chronici lectio, quæ tam distincte habet; Prædestinatarum hæresim, ex libris Augustini male intellectis, initium accepisse. Nec in eis de divina gratia controversias videtur ingressus, qui breve duntaxat Chronicon concinnavit, quo nihil huic argumenti affine continetur.*

Interea tamen Lectorem hoc loco monere juvat, me in consultando Launojo, eam de Arnobio juniore sententiam tenuisse, quæ ipsi arrisit maxime; illum nempe in Augustinum male affectum, in Semipelagianorum castris meruisse. Quod sane fateatur necesse est, quippe illi Commentarios in Psalmos adjudicat, qui ejus nomine in nonnullis Editionibus prostant: ut multis contra Vossium probat eruditissimus Cardinalis de Noris lib. 2. *Historie Pelagiane cap. 15.* Cæterum Commentarios illos, Arnobio perperam inscribi, duplicique titulo a Gelasio dictos Apocryphos; eum vero inter Augustini cultores jure censei, ac ne latum quidem unguem ab ejus sententia discessisse, persuasum habeo ex ejus Dialogis cum Serapione, jam olim ab Alcuino sub ejus nomine laudatis, Epistola ad Flavium Menium, & libro 6. contra Felicem Urgelitanum. Ita enim inter se de Augustino colloquantur Arnobius & Serapion libro 2. *haud longe sine: Serapion dixit: non ita docentem Augustinum audivi. Arnobius dixit: In qua parte non ita audisti eum docentem? Serapion dixit: Non imperium legis impleri, omnia volumina tractatum, & librorum ejus restantur scripta. Arnobius dixit: Tangit me, ita sicut sunt mira ejus verba in medium proferre, & probare quantum legis imperio, quantum libero concedatur arbitrio. Serapion dixit: Testor Deum, quia sollicitudini mee universam ambiguitatem eliminasti, si de his ejus tibi definita proferas, & de omnibus, quæ transacta sunt, evidenter ejus afferas documenta. Fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere, UT SE IPSUM ORE SUO HÆRETICUM DETEGAT, QUI AUGUSTINUM PUTAVERIT IN ALIQUO REPREHENDENDUM ELIQUO. Arnobius dixit: meo sensu locutus est; nam ea, quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum scripta, sic credo, & teneo, & defendo. Itane Augustinum Semipelagianus homo celebrasset, cum ii, ex se-*

etæ decreto, tam multa ejus dicta reprehendent?

## CAPUT XIII.

Augustiniana doctrina de Semipelagianismo triumphus, sæculis sexto, septimo, & octavo reportatus, & a Launojo pessima fide dissimulatus, distincte narratur.

Frontem Launojo perissee necesse est, dum ad decimum quartum narrationis suæ caput conferendum, mentem applicuit. (Pag. 102. & 103.) Augustini discipulos non jam tecto sermone, sed palam, & aperte, distinctisque verbis audaces, & pervicaces appellat; quod geminæ Synodi iudicio in Lucidum pronunciatum nihil terrii steterint in incepto; obfuroque nonnullos Africanæ Præfules, in Sardiniam actos suis partibus illigari. tamesi, ut adjicit, nihil tot illæ artes obsuerint, quominus vulgata ab iis paradoxa omnium in se fidelium odia concitarent. Utque hoc ultimum duplici fabella, & quidem omnium stultissima, confirmasse sibi visus est, ad nonum subinde sæculum gressum factus, Gottescalchi historiam necit; quod duorum, & amplius sæculorum spatio (Fabularum verba sunt) Augustini discipuli ubivis pessime habiti conticissent, seque ipsos silentio damnassent, donec gyrovagus Monachus caput tolleret. (Pag. 106.)

Siste, Launoji, siste; & qui hæcenus illatum a Massiliensibus Augustino, ejusque discipulis bellum fufus enarrasti; Semipelagianorum in eos diæria, querelas, oblocutiones exaggerasti; objectionum errorum indiculum millies texuisti; libellos, scriptiones, omniaque intentatæ litis instrumenta excussisti; sine videamus quem tandem sæculo sexto, ac septimo exitum habuerit gravissima concertatio, quæ centum, & amplius annos Ecclesiam universam, ac potissimum Gallicanam exercuit. Hinc enim definire facile erit, num Augustini de gratia, & prædestinatione sententia, erroribus (quod hic maxime quaeritur) debeat accenseri; an potius inter fidei, & Traditionis Ecclesiasticæ capita computari? Num post latam in Synodis Arelateni, & Lugdunensi in Lucidum damnationem, bonorum in se odium Augustiniani concitarint, an verus Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum cultu excepti sint? Num demum male sanæ doctrinæ conscientia, ora compresserint Sanctissimi Doctoris discipuli, & affectæ; an potius fuerint illi tui, quos laudibus cumulas, Cassiani, Vincentii, Faustii, Gennadii, ex totius Ecclesiæ sententia, æterno silentio damnati?

Fausto Rejensi Episcopo, in quem Semipelagianæ Reipublicæ principatus, extincto Cassiano, devolutus fuerat, humanis tandem rebus exempto, languere paulatim coepit factio divinæ gratiæ inimica: Augustini vero sententia, quæ potentissimum hæcenus passa fuerat adversarios, depulsis sensum superborum hominum præiudiciis, libere triumphavit. Massilienses in Hipponensem Episcopum initio mustantes, incerto velut ictu petierat Cælestium; cujus ad Gallos Episcopos nobile rescriptum, per se se licet decretorium, subdolis interpretamentis, & exceptionibus eludebant. Verum has illis subinde plagas intulere per vices Gelasius I. Hormisdas, Felix IV., Bonifacius II., Joannes II., una cum Synodis Gallicanis, aliisque sanctissimis Patribus, ut amica manu leniri nequiverint; nemoque deinceps, citra hæresis notam, suam illis adversus Augustinum advocatorem præstare poterit.

Gelasius anno 493., qui alter a Faustii obitu

fuit, Semipelagianæ scilicet dogmata damnavit, de humanis conatibus gratiam antevertentibus, deque fide naturæ viribus prodeunte, datis ad Piceni Episcopos elegantissimis Epistolis: *Quid autem, inquit, haberi possit sine gratia, cum sit fides ipsa per gratiam; eodem Apostolo nos docente; (Epist. 7.) Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Nec aliud est misericordia divina, quam gratia; ut ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus; atque monstraret, cooperatorem se esse gratiæ, subsecuendo. Cumque Seneca quidam delirus fenex, ac nullius eruditionis homunculus, Augustini, & Hieronymi scripta læcesseret, summisque Doctores mille conviciis oneraret, de utriusque honore sollicitus pius Pontifex, inauditum homuncionis audaciam hisce compescuit: *Albam majus scelus accessit, ut sub conspectu, & præsentia sacerdotum, beate memorie Hieronymum, atque Augustinum, Ecclesiasticorum luminæ Magistrorum, musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitate lacorare consederet. Eccle. 10.* (apud Labb. Tom. 5. pag. 306.) Quid diciturum Gelasium arbitramur, si muscam, non utique morituram, sed mortuam dudum, ac tumulo datam, Augustino Ecclesiasticorum Magistrorum lumini insultantem, eidemque Prædestinatarum, Wiclefianæ, Lutherianæ, Calvinianæ, Janfenianæ hæreses notam audacis inurentem deprehendere contigisset? Id vero summum scelus, nulla verbi invidia, vocitasset.*

Novo ictu Semipelagianos consecit Gelasius idem, anno proxime sequenti, novumque Augustinianæ scholæ decus addidit. Coacta scilicet Romanæ septuaginta Episcoporum Synodo, factaque de libris vel legendis, vel rejiciendis consultatione, Cassiani, & Faustii Opuscula, eadem cum Ioviniani, Montani, Priscilla, Maximilla, aliorumque hereticorum, & schismaticorum libris, censura notavit; eaque inter quinquillas anandavit, quas Ecclesia Catholica minime recipit. Augustinum vero, & Prosperum Aquitanum, Orthodoxorum Patrum numero censuit, qui in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consorcio deviarunt. Cujus quidem decreti verba dedimus paulo supra Cap. 10.

Ineunte sæculo sexto, delati in Orientem Faustii Rejensis Episcopi Libri duo, quos Arelatenis Synodi iussa prætergressus in Augustinum ediderat, Scytharum Monachorum censuram experti sunt. Novi ex ultimo Ponto excitati gratiæ vindicæ, Libello de Incarnatione, & gratis concinnato, Augustini de gratuita prædestinatione sententiam toto conatu vindicarunt, & Rejensis Episcopi Libros in eandem editos anathemate confoderunt: *Sanctorum Patrum, inquebant, imbuti doctrinis, anabematizans Pelagium, & Cælestium, simulque etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapient; præcipue Libros Faustii Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi proventus est . . . In quibus non solum contra horum omnium sanctorum Patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli traditionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adiutorium; atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos, non ea gratia, qua, & nos, secundum quod docet beatus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos impie profiteretur.*

Scytharum Libello calculum adjecere Præfules Africani, in Sardinia insulam, pro Catholica fide, a Trafamundo Rege Ariano relegati, vitæ sanctimoniam, & eruditionis laude spectatissimi, numero quindecim, Bizacenæ Provincia, Dacianus videlicet, Fortunatus, Boethius, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Vi-

Victorinus, Phorinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, Januarius. In coacta Synodo, delatam per Joannem Diaconum, Monachorum scriptio- nem non probarunt modo, verum etiam alteram pari titulo, de Incarnatione, & gratia submis- erunt, qua Faustii errores, de initio vocationis, & fidei, de predestinatione ex meritis pendula, de gratia promiscue collata, capite 18., & sequenti- bus, egregie confutavit, sancto Fulgentio Rus- pensis Episcopo omnium decreta, atque sententias in litteras mittente. Faustii nihilominus nomini pepercere, & a ferenda in ejus libros sententia temperavit, quod illos necdum legissent. Egre- gium volumen hoc brevi Epilogo clauditur, quo stat Augustinianæ doctrinæ summa: *Flavetis, dilectissimi Fratres, tam de Incarnatione Domini Jesu Christi, quam de gratia paucis expressam fidei nostræ, confessionisque sententiam . . . Cujus gratia nobis, & initium bonæ voluntatis donatur ad fidei, & ipsi voluntati adjutorium tribuitur, ut quod bene vult, bene operetur. Deus enim, qui hominem condidit, ipse predestinatione sua, & do- num illuminationis ad credendum, & donum perse- verantiae ad provicendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, preparavit, quique non aliter persequi in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabi- li habet voluntate disposuit. Cujus predestinatio- nis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem predestinatos in Christo Ephes. 1. testatur Apo- stolus, si quis detrahat cordis credulitate recipere, vel oris confessione profiteri, si ante ultimum diem vite presens, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vira, & vero rebellis obstitit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum nume- rum, quos Deus in Christo ante mundi constitutio- nem gratis elegit, & predestinavit ad regnum &c. Launoii manus bene precor, ac ne Bifaceno- rum Præfulum sententiam expertus sit, Divinam misericordiam suppliciter peto. Nec unius Bifa- cenæ Provincie Patres, numero quindecim, quorum nomina laudatæ scriptio præfixa sunt, sen- tentiam dedisse, sed ceteros plane omnes supra sexaginta Africa Præfules, in exilium actos, Seyrenarum consultationi respondisse, Fulgentio calumniam omnibus commodante, haud obscure in- nuit Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in ejus Vita cap. 20. *Fuit etiam, inquit, quædamque transmarinis Litteris, de fide, vel de diversis qua- stionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus, ab omnibus imponatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ Antistes, inter sua privilegia meruit, ut Litteras ex Africa- no Concilio dandas ipse solus scriberet: sic ipse me- ruerat, ut litteras ex illo Concilio dirigendas solus ipse diceret. Sexaginta quippe, & eo amplius Epi- scopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua, & ingenium B. Fulgentius Episcopus fuit. Propre- rea quædamque referiebantur consuleribus, Episcopo- rum nomina cunctarum dicebantur in titulo, sed solus Beati Fulgentii sermo renebatur in sty- lo.**

Hæc omnia notare libuit, ut inaudita Launoii petulantia comprimitur, qua tam multos sanctifi- simos, ac doctissimos Præfules, pro tuenda fide catholica durum exilium passos, tanquam obcu- ros, ac pauculos fortis infimæ magistellos despi- catur, ac ludit, quasi Gallorum Augustinianum artibus circumventi, ac turpiter lusi, dictatam ab iisdem sententiam scripto mandariat. (Pag. 103.) Vah insulsi arguuntur iustitiam auda- ciam! Afros in Sardiniam ejectionis suis partibus illigant Galliarum Augustini discipuli, quibus- cum nihil unquam commune fuerat? Aut si for- tasse fuerint religiosissimi Confessores, qui in alie-

nam sententiam cæco impetu, atque obtorto na- so ducerentur?

Interim Afrorum responso animati Scythiæ Monachi, Faustii Libros, Joanne Maxentio du- ce, longe quam antea vehementius fugillabant, ac palam facti agmine, ut hæreticos, traduce- bant. At cum illos alii adversis studiis occupati catholicos dicerent, neutraque pars alteri cederet, ac turbæ interim moverentur; Possessorem notæ eruditionis Episcopum, qui Constantinopoli exul degebat, sententiam rogavit Vitalianus, & Jus- tinianus militum Magistri. Hic quod privatam Constantinopoli vitam ageret, nihil auctoritate dixit, aut explicite respondit: sed neutri diffi- dentium parti favere studens, Faustii libros, nec hæreticos, nec catholicos pronuntiavit; quasi pri- vatas duntaxat sententias complecteretur, quas nec probaret aperte, nec improbaret Ecclesia. In- terea tamen urgentibus Vitaliano, & Justiniano, ad Hormisdam Romanum Pontificem litteras de- stinavit, supremum ea de re iudicium quaerens. Erant Epistolæ verba: *Cum quorundam fratrum animus, de codice Faustii cuiusdam, natione Galli, Regine Civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentius de gratia Dei diserte visus est dis- putare, in scandalum moveretur; alius (ut se ha- bent humanis studiis) in contrarium sententibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ a tractatoribus, pro capiti proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad Synodaliem vicem pro lege servari; sed habere nos certa scilicet, quæ veteri lege, vel nova conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta iudicium, ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmite- rem: hæc autem quæ Antistites diversi conscripse- runt, pro qualitate sui sine præiudicio fidei solere conscribi. . . . Quoquo, ut consulentes, quid de præ- fatis Auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolica responsionis agnoscat, maxime, quod filii quoque Magistri militum, Vitalianus, & Justinianus, præ- cipue super hac re, Rescripto Beatorum vestrorum si- militer informari desiderant; ( apud Labb. Tom. 5. pag. 662. )*

Hormisdas acceptis Possessoris Epistolis, Faustii Libros, nullius in Ecclesia auctoritatis esse re- spondit: sed Augustini Libros, potissime vero ad Prosperum, & Hilariam ditos, legatos infinuavit, tanquam qui Catholica, ac Romana Eccle- siæ doctrinam, de gratia, & libero arbitrio, complectantur: ( Epist. 70. ) Hi vero, inquit, quos vos de Faustii cuiusdam Galli Antistitis dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum ha- beant. Neque illius recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit, exarum Catholicæ fidei, aut Ecclesiæ discipline, ambiguitatem post se gignere, aut religionis præiudicium comparare. De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Ro- mana ( hoc est, Catholica ) sequatur, & assereret Ecclesia; licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilariam, & Prosperum, postea cogno- sci, tamen in scriptis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si vobis desunt, & necessaria cre- ditis, destinabimus: quamquam, qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evi- denter agnoscat; ( apud Labb. Tom. 5. pag. 663. ) Quo iudicio, omnem Launojo, ac Semipelagianis, quo effugiant, aditum interclusit. Cælestino enim Præfulem Hipponensem, uti Magistrum opti- mum, nulliusque suspitione erroris aspersum com- mendanti, reponere soliti erant; ( Apud D. Prof. contra Coll. c. 21. ) istam in sanctum Augustinum laudationem pro antecuriam scriptum meritis suis- se collatam . . . . . quia in Epistola Papæ, librorum pro quibus auctum est, non expressit titulus. Verum Librorum titulum expressit Hor- mil-

midas, illosque potissime commendavit, qui Lau- nojo, ac Semipelagianis præ cæteris stomachum movent. Cum itaque uno, eodemque iudicio, Augustini Libros ad Hilariam, & Prosperum datos, uti Ecclesiæ Romanæ doctrinam de gra- tia, & libero arbitrio continentes, approbet Pon- tificex, Faustii vero libros, eodem de argumento, in sanctum Præfulem exaratos, aperte rejiciat: consequens profecto est, theses omnes, ex profes- so a Sancto Doctore inibi defensas, quibus ad- versarias Faustus opposuit, ab Ecclesia Romana propugnari, atque defendi.

Anno 523. Sanctus Fulgentius Ruspensis Epi- scopus, Afrorum Episcoporum in Sardinia exul- lum unus, idemque pietate, & eruditione præci- pius, novis collegarum precibus inclinatus, Fau- sti libros a Scythiæ Monachis transmissos, sep- tem aliis impugnavit. Horum magna cum lau- de meminit Sanctus Isidorus Libro de Viris illu- stribus cap. 14., tamen hic hucusque inediti delite- scant: Fulgentius, inquit ille, *Afer, Ruspensis Ecclesiæ Episcopus, in confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiose eruditus, in loquendo dul- cis, in docendo, ac differendo subtilis, scripsit multa, ex quibus legimus, de gratia Dei, & libero arbitrio, Libros responsionum septem: in quibus Faustio Gallie Rejensis Urbis Episcopo, Pelagiane pravitate consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem. Spes fuerat, ingen- tem thesaurum, per annos ferme mille ducentos inaccessis latebris abditum, nostra demum ætate in publicam lucem proditurum. Volumen situ pu- tre, membranis exaratum, blattarum, & tinearum epulas brevi futurum, e tenebris nescio quibus eruerat Hieronymus Vignerius Oratorii Presby- ter, dataque non semel intimis, ac familiaribus curandæ editionis fide, Augustinianæ doctrinæ studiosis salivam moverat. Verum fatali cuncta- tione, cui humanæ rationes nonnullæ suberant, effectum est, ut necdum tentata editione, e vi- vis excesserit. Quo demum eventu, invidi ma- nus, ac diris etiam devovenda, sacrum thesau- rum Republica litteraria secundo furripuit.*

Suam in sedem hoc ipso anno restitutus Ful- gentius, tres alios de veritate predestinationis, & gratiæ Libros addidit, Scythiis Monachis nuncu- patus, ad Faustii sectatores cumulatis referendos. Horum altero Augustini doctrinam, a Rejensi Episcopo temere fugillatam, constantem Ecclesiæ, cum Latine, tum Græcæ Traditionem appellat, ab Apostolis derivatam. ( Cap. 18. lib. 2. ) Au- di Launoii, & comprime rostrum: Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tra- dita permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci, Latini, Pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, uno, atque indissolubili semper tenere consensu. In qua Beatus Augusti- nus, indutus virtute ex alio, abundantius illis omni- bus laboravit; non ipse autem, sed gratia Dei cum illo. Ipsius ministerio, Dominus uberores hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit &c.

Geminam Ruspensis Episcopi lucubrationem, ( ut de aliis subinde concinnatis, de Prædestina- tione ad Monimum, necnon de fide ad Petrum, nil dicam hic ) cum nunibus suffragiis approba- runt Episcopi Africani, & Sardinia jam reduces, & ab exilio, Hilderici Regis, qui Trafamundo successerat, benignitate revocati. Faustii Libros distincta censura inusserunt, Augustini vero ad Prosperum, & Hilariam datos, singulari elogio commendaverunt, Epistola Synodica ad Scythas Monachos data; ex qua pauca ista delibare fat erit ad Launoii fomina dissipanda: Præ omnibus studium gerite, Libros Sancti Augustini, quos ad Prosperum, & Hilariam scripsit, memoratis fratri- Serry Tom. V.

bus legendos ingerere. Quorum mentionem Beate memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus An- tistes, in Epistola, quam consulenti se sancto Fra- tri Consacerdotique nostro Possessori rescripsit; cum magno præconio catholica laudis inferuit. Tum re- citatis Hormisdæ verbis, de Faustii Libris, eo- rumque a Sancto Fulgentio adornata bina confu- tatione, ita pronunciat: *Ceterum unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam di- gnatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memo- ratos fratres adversus gratiam, & predestinatio- nem, intinastis, vel sentire, vel dicere, tribus Li- bris vestro nomine dedicatis sufficienti disputatione respondit, quique adversus duos Libros Faustii Gal- li septem Libros edidit: quos cum recensueris, agnosceis protinus, quemadmodum memorati Faustii commenta veritati contraria, Catholica fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convin- cit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona profus attestato confutavit. ( apud Labb. Tom. 5. pag. 739. )*

Pari per idem tempus, in Faustum ejaque gregales, exitu bellum movit Sanctus Casarius Arelatensis, Gallis Præfultibus non plaudentibus modo, verum etiam dexteras dantibus; ut quæ per annos amplius centum, Semipelagianismum aluerat, & foverat Gallia, eundem ipsa præfoca- ret. Itaque Librum de Gratia & libera arbitria Casarius edidit, quo binos ejuſdem tituli Libros, a Fausto elaboratos, egregie confutavit, & Au- gustini doctrinam defendit, illustravitque. Tri- umphum illi per Epistolam gratulatus est magnus Eusebius, gemina ad Anastasium Imperatorem obita legatione clarissimus, & a Synodo V. Ro- mana honorificentissimo elogio oratus: ( Lib. 9. Epist. 33. ) *Tibi debet, inquit, quicumque ille Scriptorum maximus, quod cum dote elocutionis am- plificas; Augustinum nimirum intelligens, quem is adversus Rejensis Episcopi criminationes, pari sermonis elegantia, & eruditione defendit.*

Sancto Casario dexteras contulit Sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus, cuius eruditione, ac fide, ab Ariana hæreseos infestatione Gal- lia nostræ defensæ sunt. Hunc in Faustum sty- lum exercuisse, testatur Ado Viennensis & ipse, in Chronico ætate 6. *Faustus ex Abbate Lirinenſis Monasterii apud Regnum Gallie Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errore la- bitur: unde, qui ejus sensus in hac parte catholi- cos predicant, sicut Gennadius de illustribus Viris scribens, omnia errant. Ita enim liberum arbitrium, tam Augustinus, quam ceteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio ejus, virtus, & salus illi a Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus vero iste ita liberum arbitrium arbitrium dicere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & salus non a Christo, sed a natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Beatus Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem. Similiter, & Joannes vir eruditus Antiochenus Presbyter: Maxentius nempe Monachorum Scytharum Archimandrita, de quo antea dicebamus. Quibus verbis Adonem quoque Casario sua de- mum ætate suffragatum intelligimus; quippe qui, & Faustum ut hæreticum infecturam, & Augusti- num catholicæ de divina gratia doctrinæ Magi- strum agnoscit.*

Sed qui his omnibus præstat Felix IV. Ro- manæ Ecclesiæ Pontifex, Casarii triumphis acci- nit, editumque Volumen Apostolica auctoritate communivit, si quæ Gennadii Continuatores fides est: *Casarius, inquit ille, Arelatensis Urbis Epi- scopus, vir sanctitate, & virtutibus celebris, scripsit egregia, & grata, & valde Monachis neces- saria Opuscula. De gratia quoque, & libero arbi- K k k*

svio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum iudiciis munita, ubi docet, hominem nihil de proprio agere boni posse, nisi eum divina gratia praeveniat. Quod opus etiam Papa Felix, per suam Epistolam roboravit, & in latius promulgavit.

Quamquam quid ego his immoror, ut Semipelagianos Gallorum Praesulum eruditione repressos, Romani tandem Pontificis auctoritate, extremo veluti telo, confectos ostendam? Prostant in omnium oculis secundae Arausicanæ Synodi Canones, quos, vel ignorasse Launojum, vel, si noverat, contempnisset, perinde mirum. Hos a Felice IV., qui tum Romae sedebat Pontifex, ad Pelagianismi reliquias, quae suam Launojus ad vocationem accommodat, extripandas, submissos esse, & ab Episcopis Gallicanis, profertente Caesario, subscriptos, ex ipsa eorumdem praefatione compertum est: *Id nobis secundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apostolicae, iustum, & rationabile visum, ut pauca capitula, ab Apostolica nobis Sede transmissa . . . ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus.* Eodem ex Augustini sententia constat, aequae certum; idque facta collatione ostendit Binus, in suis ad Synodum Arausicanam adnotationibus. Caesariani demum, ac Faustii assertiones, facis illis fidei regulis pene syllabam inultas oculis subiecit Cardinalis Norisius lib. 2. *Historia Pelagiana cap. 23.*, necnon in *Appendice ad eandem cap. 2.* Quae tria dum reputo, satis intelligentia assequi nequeo, eo insulsi deventis Launojum, ut silentium saeculo 6. (*Pag. 105.*) Augustiniani indicium blateret: quo maxime tempore, Augustini ore, & Romae Pontificis, & Galliae Synodi loquebantur, eisdemque sententia, decretum in amulos obretractores iudicium pronuntiabant.

Nec Arausicana duntaxat, verum etiam Valentia Synodus, multo numerosior, Semipelagianos errores proscripsit, & Augustinianam doctrinam caput de gratuita vocatione confirmavit. Cum enim observasset Caesarius, Arausicanæ Synodi Canones, minori apud nonnullos, ehibitis jam pridem erroribus tenaciores, haberi pretio, seu quod pauciores ad eam Episcopi convenissent; seu quod de rebus fidei, ex occasione duntaxat dicenda Basilicæ, tanquam aliud agentes pronuntiassent; idemque ipse male apud nonnullos audiret, quasi plus aequo sanctis Arausicanis Canonibus, gratia tribuisset: is ut coeptum opus ad umbilicum duceret, omnemque a se sinistrae opinionis suspitionem amoveret; Augustini doctrinam, seu verius Catholicam Fidem, frequentioribus Patrum suffragiis sanciri voluit. (*Ravennae lib. 2. Epist. 32.*) Quare Synodum pro iure primatus, Valentianam indixit, cui cum adversa valetudine prohibente, interesse non posset, suas Cypriano Tolonenfi Episcopo vices delegavit: quo duce, ac praeside, Catholica veritas, non ita pridem Arausicanæ sancta, cum magno Augustiniani nominis incremento, de potentissimis hostibus triumphavit. Rem totam memoriam mandavit Cyprianus alter, Caesarii discipulus, in ejus Vita; etenim Valentianæ Synodi Acta invidia temporum perire: *Multi quidem avari surrexerunt, inquit ille lib. 1. cap. 30.*, qui ejus resistere doctrinae de gratia praedicationi: sed o felicitas amulanda! Ereum insurris, & mala interpretatione quorundam, obortur in Galliarum partibus, contra praedicationem Dei hominis, frustra sinistra suspicio. Ob hoc Antistes Christi, ultra Isaram consistentes, charitatis amore collecti, in Valentiana Civitate conveniunt; quo etiam Beatus Caesarius infirmitatis causa sollicitus, sicut disposuerat, properare non pa-

ruit. Misit tamen prestantissimos viros de Episcopis, cum Presbyteris, & Diaconis. Inter quos etiam Cyprianus Tolonenfis Episcopus, Antistes magnus, & clarus entit; omnia, quae dicebat, de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam accipere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia praevenerit. Quorum intentionibus vir Dei Caesarius dedit veram, & evidentem ex Traditione Apostolica rationem. Nam beate memorie Bonifacius, Romanae Ecclesiae Papa, eadem collatione comperit, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Caesarii Apostolica auctoritate firmavit. Idem donante Christo paulatim Ecclesiarum Antistes praecerunt, quod optaverat diabolus repentina animositate casare.

Haec omnia cum fide retuli, tamen eruditus omnibus nota: partim, ut Tolonenfis Ecclesiae, quae me Christo peperit, summum decus publicarem, cujus Antistes Cyprianus id demum honoris, & gloriae retulit, ut asserta Augustini doctrina, diutina concertationi, quae Galliam universam centum, & amplius annos in contraria studia distraherat, finem imponeret: partim, ut Launoji pessimam fidem ob oculos ponerem; qui ut Caesarianam Augustinianam doctrinam professorem, suis, pro more, calumniis oneret, Synodum Valentianam adversus illum ipsum habitam commisit, quod Augustini dogmata tueretur: quin etiam eundem illum damnationis sententia certo petendum hauriolatur, nisi Cyprianus, (*Pag. 105.*) aliique Praefules amicissimi, causam illius egissent, ejusque doctrinam benigna interpretatione emolliissent. Certe si fabulam de industria tenuisset Launojus, ut suo, Lectorumque otio abuteretur, haud illum pudiosius nugas narraturum existimo. Quid enim, si sic est, ut obrendit, Valentianæ Synodi gesta, ab Apostolica Sede confirmari Caesarius postulavit? Quid Synodum Valentianam, Collationem cum quibusdam Sacerdotibus a Caesario habitam vocat Pontifex, in ipso confirmationis instrumento? Quid sanctos inibi canones, Caesarii, & Consecratorum confessionem appellat? Quid Augustini doctrinam, pro cuius defensione amulorum quorundam invidiam subierat Caesarius, praeter ceteris tenendam inculcat? Quid Presbyteros aliquos Semipelagianismo luto adhuc hererantes, ad bonam frugem Caesarii industria revocandos ominatur? Do Bonifacii Romani Pontificis ad Caesarium epistolam, non integram quidem, utpote prolixiorem, sed per centones, ac partes, quantum confirmandis singularis huius capitibus, & Launoji fabulae refellendae sufficiat. Quamquam estis darentur, Synodum Valentianam, contra Caesarium ipsum, ejusque ingratis habitam esse; quod is ob defensam, atque sanctam Arausicanam Augustini doctrinam, male apud aliquos audisset: in eo tamen culpandus Launojus veniret, quod privatorum obmurmurationes, turbas, coitiones, Arausicanæ Synodi decreta, necnon Felices IV., & Bonifacii II. rescriptis causam Caesario adjudicantibus, anteponat.

Indicas enim (Bonifacii verba sunt ad Caesarium rescribentis) quod aliqui Episcopi Galliarum, cum cetera jam bona ex Dei acquirerint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturae esse velint, non gratiae; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulari misericordiae divinae largitate conscribi: postulans, ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo, totiusque bona voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per-

praevenerint Dei gratiam, singularum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolica firmaverunt. Atque ideo cum de hac re multi Patres, & praeter ceteris beate recordationis Augustinus Episcopus, sed & Majores nostri Apostolicae Sedis Antistes, ita ratione probentur differuisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici &c. . . . Quod etiam Fratritatem tuam, habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu desinuerunt, fidem, qua in Christo credimus, gratia divinitus praevenerit conferri; adjectives etiam, nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia, aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit. . . .

Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus. . . . His itaque breviter assignatis, contra reliquias Pelagianorum erroris incipias, quas illa videtur epistola continere, quam a quodam tibi mandasti Sacerdote transmissam, respondendum non duximus, quia speramus de misericordia divina, quod ita per ministerium tuae Fratritatis, atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex doctrina credant gratia proficisci, cum se pensaverint id jam velle defendere, quod nitentur pertinaciter impugnare &c. (apud Labb. Tom. 5. pag. 831.)

Epistolam hanc, non ad Arausicanam duntaxat Synodum, ut aliqui putant, sed ad Valentianam maxime referri liquet, tum ex testimonio Cypriani paulo ante laudato, tum ex nota temporis; jam enim celebrata erat Synodus Valentiana, dum Pontificatum adeptus est Bonifacius; tum demum ex petita ab Caesario eisdem confirmatione. Eecur enim Arausicanæ Synodi decreta, ab Apostolica Sede confirmari postulasset; cum ab ipsa Apostolica Sede edita essent, eademque mandante, a Gallis Praesulibus in Arausicano Conventu subscripta?

Hunc exitum habuit Massiliensium in Augustini doctrinam celebris contentio, quae Galliam nostram centum, & amplius annos sollicitam habuit. Sancto Doctori non modo adjudicata lise est, verum etiam eisdemmet verbis in partem adversam decreta sententia, extremoque Apostolicae auctoritatis sigillo firmata. Qua de causa subinde factum, ut proxime saeculis saeculis, quibus Augustini discipulis ubiuis pessimo habitus semetipsos silentio damna, (*Pag. 106.*) mentitur Launojus, (de aliis quippe subinde secutus non est hic sermo) nemo eruditionis laude claruerit, qui Augustinum, summum praedestinationis, & gratiae doctorem non suspexerit, coluerit, ac tantum non adoravit: nemo Semipelagianis erroribus anathema non dixerit; ipsis Romanis Pontificibus, atque Conciliis exemplo praesentibus.

Sic Joannes II. Romanus Pontifex Epistola ad Avienum, & Senatores, respondens tribus quaestionibus de Christo Deo, & homine, post laudata Scripturarum, & Concilii Niceni testimonia, Augustini suffragium addidit; hoc illum elogio celebrat: *Item Sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundum Praedecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia.* (apud Labb. Tom. 5. pagina 897.) Quo oraculo non solum Augustini doctrinam confirmat, sed qua ante retulimus Romanorum Pontificum de illius auctoritate decreta, certissima esse declarat. Quid porro ad Doctoris cuiuspiam commendationem luculentius dici potest, quam quod doctrinam ejus

Serry Tom. V.

Romana sequatur, & servet Ecclesia, ceterarum nimirum Ecclesiarum mater, atque magistra?

Sic Gregorius Pontifex cognomento Magnus, lib. Regist. 10. Indict. 3. Epist. 37. Innocentio Episcopo, ejusdem in Jobum Commentariis laudanti, ita respondet: *Si desitio cupitis pabulo saginari, Beati Augustini patriae vestri Opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum sursum non queratis.* Cui per simile est, quod habet in Praefatione Homiliarum in Ezechielem, quae Marianus Episcopus sibi transmitti supplicaverat: *Tua itaque dilectio has sibi ad legendum mitti posceperat: sed valde incongruum credidi, ut aquam despicabilem hauriret, quem constat de Beatorum Patrum Ambrosii, atque Augustini torrentibus profusa, atque perspicua fuenta assidue bibere.* Quam autem firmiter Augustini de gratia, & praedestinatione principis itaret Gregorius; atque illis ipsis, quae sub errore cubare contendit pseudo-traditionis Consecratorum, liquet plae ex libro Et. Moralium cap. 9. ubi Jobi locum ita interpretatur: *Dicitur ergo, si incluserit hominem, nullus est qui eripiat; quia scita nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiae relinquentis. Includens itaque Dei, est clausus non aperire. . . . obducat quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non enghit.*

Sic Martinus I. Epistola 4. ad Ecclesiam Carthaginensem, Augustinianam doctrinam studium Carthaginensibus insitum laudat: *Vos merito de sincero corde amplectimini, cum maxime tanquam perennis lucernas, confessionis vestrae characteres, nobis expresseritis. Iste huius Apostolicae Sedis, per Synodales Litteras vestras, quos in nobis Spiritus sanctus informavit, per Ecclesiae Catholicae Oratorem, gloriosum nempe Augustinum. Quibusque cum vos patris sine composuerimus, & universum in vobis Doctoris decus in vestris piissimis dogmatibus offerre, & aequae exprimere, necessario bis Beati Serenae verbis vos omnes collaudamus &c.* (apud Labb. Tom. 7. pag. 14.) Ut quid porro Augustinum Ecclesiae Catholicae Oratorem dicit; nisi quod Ecclesiae Catholicae vox est, ejusdemque reddit oracula; in hunc ferre modum, quo solent Principum Oratores, eorum, quorum personam proxime referunt, effata loqui, mentemque publice denunciant?

Sic Agatho Epistola ad Augustos, quae extat Actione 4. sextae Synodi oecumenicae, Augustinum Doctorem praestantissimum. . . . veritatis prudentissimum praedicatorum appellat. (apud Labb. Tom. 7. pag. 667., & 671.)

Sic demum Hadrianus hujus nominis primus, Epistola in actis septima Synodi recensita, eundem praecipuum Ecclesiae Patrem, & optimum Doctorem, honoris gratia nuncupat. (apud Labb. Tom. 8. pag. 755.) Quodque notandum magis, Augustini de praedestinatione doctrinam discretissime tradit, tenendamque decernit Epistola 95. ad Egilam, & 97. ad Episcopos Hispaniae: *Opera misericordiae, inquit, ac justitiae sua preparavit Deus in aeternitate incommutabilitatis suae: & sicut operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorumdem operum preparatione, nunquam improvidus. Preparavit ergo justificandis hominibus merita, preparavit eisdem glorificandis, & premia: malis vero non preparavit voluntates malas, aut opera mala, sed preparavit eis iusta, & aeterna supplicia. Haec est aeterna praedestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fideliter predicamus. . . . Tenatur ergo praedestinationis veritas a fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac praedestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem praedestinationis effectum.* Extrait

Kkk 2

Epi-